



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Sōkratus Scholastiku Kai Ermeiu Sozomenu Ekklesiastikē Istoria

Socrates <Scholasticus>

Mogvntiae, 1677

Archelai Episcopi Mesopotamiae disputatio adversus Manichaeum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14233**

ARCHELAI EPISCOPI MESOPOTAMIÆ  
disputatio aduersus Manichæum.

*Incipit Doctrina iniqui & perfidi Manichæi, in qua doctrina decipit animas infirmorum. Unde tu Christiane Catholice, quisquis es, lege, & cave, ne seducaris verbis ejus & cadas in laqueos ipsius.*

\* se passim  
transsu-  
vium.

**I**GITUR cum diversis in locis de Marcello fama \* se passim transsu-  
vium. fama \* se passim spargeret, etiam ꝑ trangan fluvio separato Perlarum in regionem eum pertulit admirandum, in qua demorabatur Manes quidam. Qui ad se hujuscemodi viri opinione perlata, plurimum ipse secum volvebat, quemadmodum eum doctrinæ suæ possit laqueis incutere, sperans adsectorem dogmatis sui fieri posse Marcellum. Præsumebat enim universam se posse occupare Provinciam, si prius talem virum sibi met subdere potuisset. In quo, duplici cogitatione anxius æstuabat, utrumnam ipse ad eum pergeret, an literis eum primo tentaret adoriri. Verebatur enim, ne forte improviso & subito ingressu malum aliquod sibi nasceretur. Ad ultimum versutioribus consiliis parens, scribere decevit. Accitumque unum ex discipulis Adda Turbonem nomine, qui per Adda fuerat instructus, traditâ epistolâ abire jubet, ac perferre Marcello quippe acceptam eam, huic cui à Manne præceptum fuerat, pertulit, omnî itinere diebus quinque transactò. Veloci enim usus est cursu, in quo plurimum supradictus Turbo laboris ac molestiæ pertulit. Si quando enim ad vesperam velut peregrinus ad hospitium pervenisset, quæ quidem ipsa diversioria hospitalissimus Marcello instruxerat, cum à servatoribus hospitiorum interrogaretur, unde & quis, vel à quo missus esset, agebat; sum quidem Mesopotamenus, de Persida autem venio, à Manichæo Magistro Christianorum missus. At illi ignoratum sibi nomen non libenter amplexi. Turbonem etiam ipsi hospitii detrudebant, ne aquæ quidem ipsi ad bibendum facultate concessa. Quæ cum singula quotidie atque horum nequiora perferret ab his, qui per singula loca mansionibus atque hospitiiis præerant, nisi ad ultimum Marcello se portare literas indicasset, peregrinus Turbo mortis pertulisset exitia. Acceptas vero Marcellus literas resolvit ac relegit præsentem Archelao civitatis Episcopo, quarum exemplum est hoc. Manichæus Apostolus Jesu Christi, & qui mecum sunt omnes Sancti & virgines, Marcello filio charissimo gratia, misericordia, pax à Deo patre & Domino nostro Jesu Christo, & dextera lucis conservet te de præsentem sæculo malo, & à ruinis ejus, & de laqueis maligni, amen. Dilectionem quidem tuam immentam sentiens, vehementer gavisus sum. Fides vero quia non sit juxta rectam rationem, moleste tuli. Propter quod ad emendationem generis humani missus sum, subveniens his, qui se seductionibus atque erroribus tradiderunt, hæc scripta necessarium

A duxi transmittere, primo quidem ad salutem animæ tuæ, deinde & eorum, qui tecum sunt. Ut ne indifferetis animos geras, sicut simpliciorum magistri docent, dicentes malum & bonum ab eodem auctore subsistere, & unum initium introducentes, neque quicquam perscrutantes, vel discernentes à luce tenebras, & bonum à malo, & exteriorem hominem ab interiori, sicut prædiximus, sed confundere ac permiscere alterum alteri non cessant. Tu vero, ô fili, ne similiter, ut multi hominum irrationabiliter & simpliciter, utraq; indifferete permisceas, neque bonitatis Dei inferas contumeliam. Initium enim & finem & horum patrem malorum ad Dominum referunt: quorum finis est maledictio proximus. Non enim his, quæ dicta sunt in Evangelii Salvatoris nostri & Domini Jesu Christi credunt, quia non potest arbor mala bonos fructus facere, neque arbor bona malos fructus facere. Quomodo Dominum, Satanae & malorum ejus auctorem dicere audeant & conditorem; plurimum miror. Atque utinam eosque eorum vanitas pervenisset, & non unigenitum, qui patris sinibus discessit Christum, Mariæ cujusdam mulieris esse dicerent filium, ex sanguine & carne & reliquis mulierum spurcitiis generatum. Ectunc plurima per hanc epistolam scribam atque in longitudinem temporis protraham patientiam tuam, cum mihi non adsit eloquentia naturalis, sufficit ista dixisse. Omnia autem cognosces cum præsens fuero apud te, si tamen saluti tuæ parcere & providere festinas. Non enim laqueum alicui injicis, sicut plurimi insipientium faciunt. Intellige quæ dico, fili honorabilis. Vale. Hac epistola lecta, bajulum literarum Marcellus obsequentissimo fovebat hospitio. Archelæus vero, ea quæ lecta sunt non libenter amplexus, velut lex conclusus, dentibus infringebat, auctorem epistolæ sibi dari desiderans. Quem Marcellus suadebat quietere, semet pollicens procuraturum præsentiam viri. Rescribere ergo Marcellus ad ea, quæ scripta sunt statuit epistolam, continentem hæc. Marcellus vir notus, Manichæo qui sibi per epistolam indicatus est, salutem. Scriptam quidem epistolam sumpsit, & Turbonem solita mihi humanitate suscepi. Sensum verò literarum nequam adverti: nisi forte, si præsens exponas nobis per verba, singula sicut per epistolam promissisti. Vale. Hanc epistolam scriptam atque signatam tradebat Turboni, ferendam ad eum à quo prius ipse pertulerat. Ille vero redire ad eum penitus reluctabatur, memor itineris labo-

B b iij

rum, & rogabatur pro se dirigi, abnegans ultra sibi ad illum reversurum aut communionem cum eo aliquā fore. Marcellus vero accito uno ex pueris suis, Callisto nomine, præcipit proficisci. Qui nihil moratus, illico proficiscitur. Et post triduum pervenit ad Manem, quem in Castello quodam Arabionis reperit, atque epistolam tradidit. Qua ille perlecta, gavisus est à Marcello se esse invitatum, ac sine mora iterum invadit. Turbonis tamen remoratore, non prospera prælagus, & quasi consulto itinere ad Marcellum perrexit. Turbo vero de Marcelli domo profusus non discedebat, nec ab Archelai confabulatione cessabat. Valde enim studiose uterque de Mane studiis perquirebant, scire cupientes qui sit, unde; vel quid verbi ferat. At ille universa dilucidè enarravit, repetens & exponens de fide ejus hoc modo. Si fidem Mani discere à me vultis, breviter audite. Hic duos colit Deos innatos, ex semetipsis exstantes, æternos: Unum uni adversantem, & alterum quidem bonum, alterum autem malum introducit. Lux uni nomen imponit, & alteri tenebras. Et lucis quidem esse partem animam, quæ in hominibus est; tenebrarum autem corpus & quæ ex materia est conditio. Permixtionem autem vel conjunctionem hoc modo dicit effectam, conferens ambos Deos in hujusmodi exemplum. Quemadmodum si duo reges sint adversum se pugnantem, qui ab initio fuerint inimici, habentes singuli singulas portiones, acciderit autem ut tenebræ progredientes fines suos, bellum cum luce commiserint. Quod cum cognovisset bonus pater tenebras ad terram suam supervenisse, produxit ex virtute, quæ dicitur mater vitæ, qua circumdedit primum hominem, quæ sunt quinque elementa: id est, lux, aqua, ignis, & maria. Quibus indutus tanquam ad paratum belli, descendit deorsum pugnare adversus tenebras. At vero tenebrarum principes, repugnantes ei, comederunt de armatura ejus quod est animam. Tunc ibi vehementer afflictus est deorsum primus homo à tenebris. Et nisi orantem eum exaudisset pater, & misisset alteram virtutem, quæ processerat ex se, quæ dicitur spiritus vivens, & descendens porrexisset ei dexteram, & eduxisset eum de tenebris, olim primus homo detentus periclitaretur. Ex eo ergo deorsum animam relinquit. Et propterea Manichæi cum sibi invicem occurrunt, dant sibi dexteram hujus signi gratiâ, tanquam ex tenebris liberati. In tenebris enim omnis hæresis esse dicitur. Tunc vivens spiritus creavit mundum, & indutus tres virtutes alias, descendens eduxit principes Jeru, exiens in firmamentum, quod est ejus corpus sphaera. Et rursus ipse vivens spiritus creavit luminaria, sunt reliquæ animæ, & fecit ea in firmamento circuire. Et iterum creavit terram. Et sunt octo. Est autem omophorus deorsum, id est, qui eam portat in humeris, & cum laboraverit portans, intremiscit. Ethæc est causa terræ motus præter constitutum tempus. Hac de causa filium suum benedictus pater de sinibus in cor terræ & intiores ejus partes, quod illum ut pareret coercerent. Quoties enim

Afficitur terræ motus tremente eo ex labore, vel de humero in humerum transferente, pondus efficitur. Tunc ergo ipsa materia creavit ex se plantas vel germina. Quæ cum furatæ essent à quibusdam principibus, convocavit omnes principes primarios, & sumpsit ab eis singulas virtutes, & fecit hominem hunc secundum speciem primi hominis illius, & vexit animam in eum. Cum autem vidisset pater vivens affligi animam in corpore, qui est miserator & misericors, misit filium suum dilectum ad salutem animæ. Hac enim causâ & propter omoforum, misit eum. Et veniens filius transformavit se in speciem hominis. Et parebat quidem hominibus ut homo, cum non esset homo. Et homines putabant eum natum esse. Cum ergo venisset, machinam quandam concinnatam ad salutem animarum, id est rotam statuit, habentem duodecim urceos, quæ per hanc sphaeram hauriens animas viventium, quasque luminare majus, id est sol, radiis suis adimens purgat, & lunæ tradit. Et ita adimpletur lunæ discursus, qui à nobis ita appellatur. Naves enim vel translatorias cymbas esse dicit duo ista luminaria. Et cum repleta fuerit, ut lunam transferre animas ad subsolanam partem, & ita \*apocrus in detrimentum facere cum onete fuerit relevata cymbas, & rursus exonerari dum hauriuntur per urceos, animæ usquequo partem suam propriam liberet animarum. De substantia autem boni patris omnem animam atque omne animal quod movetur, partem trahere confirmat. Cum igitur luna onus quod gerit, animarum sæculis tradiderit patris, permanent illa in columna gloriæ, quod vocatur vir perfectus. Hic autem vir est columna lucis. Repleta est enim animarum mundarum. Ethæc est causa salutis animarum. Mortis vero causa est hominibus ista. Virgo quædam decora & exornata, elegans valde, furto appetit principes, qui sunt in firmamento, à vivente spiritu educti & crucifixi. Quæ cum apparuerit, masculis scæmina decora apparet, scæminis vero adolescentem speciosum & concupiscibilem demonstrat. Sed principes quidem cum eam viderint exornatam, amore ejus in libidinem moventur. Et quia eam apprehendere non possunt, vehementer instigantur amoris incendiis excitati. Rapti sunt enim libidinis amoris calorem. Cum ergo currentibus eis post eam, virgo subito nusquam comparuit, tunc princeps ille magnus producit nebulas ex semetipso, uti obscuraret in ira sua universum mundum. Qui cum tribulatus fuerit plurimum, sicut homo sudat post laborem, ita & hic princeps sudat ei ex tribulatione sua. Cujus sudor pluvie sunt. Sed & messis princeps, si deceptus fuerit à Virgine, effundet famem super terram, ita ut morte afficiat homines. Corpus enim hoc mundus vocatur, ad similitudinem magni hujus mundi. Et omnes homines, qui sunt deorsum, radices habent sursum colligatas. Cum ergo deceptus fuerit à virgine, tunc cum incipiet excidere radices hominum. Et cum excisæ fuerint radices eorum, efficitur pestilentia, & ita moriuntur. Quod si superiores partes radices validius con-

cufferit, fit terræ motus, & insequitur omofori concensio. Et hæc est mortis occasio. Dicam autem vobis, quomodo & animæ in alia quoque corpora transferuntur. In hoc primo purgatur aliquid ex ea parum, deinde transfunditur in canem aut in camelum aut in alterius animalis corpus. Quod si homicidium admiserit, anima in elephantorum corpora transfunditur. Quod si messem secuit, in mutos. Nomina autem animæ sunt ista, mens, sensus, prudentia, intellectus, cogitatio. Messores autem, qui messem metunt, conferuntur principibus, qui ex materia horti in tenebris sunt, ex quo manducaverunt de primi hominis armatura; Propter quod necesse est transfundi eos in scænum, aut in phasellum, aut in hordeum, aut in spicas, aut in olera, ut & ipsi defecentur & demetantur. Et qui manducat panem, necesse est & ipsum manducari, panem effectum. Quod si occiderit pulam, & ipse pulus erit. \* Quis vero est dives in hoc mundo, cum exierit de corpore suo, necesse est eum in corpus pauperis injici, ut ambulet, mendicet, & post hæc eat in pœnas æternas. Cum ergo corpus hoc principium sit & materia, necesse est eum, qui plantaverit Perseam, transire per multa corpora, usquequo Persea illa quam plantaverit, concidat. Qui autem ædificaverit sibi domum, dispergitur per omnia corpora. Si quis laverit se in aqua, animam suam vulnerat. Et qui non præstiterit electis ejus elementa, pœnis subditur gehennæ, & transformatur in catechumenorum corpora, usquequo faciat misericordias multas. Et propterea si quid optimum est in escis, offerunt illud illis electis. Et cum voluerint manducare panem orant primo, ista dicentes ad panem. Neque ego te mesui, neque molui, neque tribulavi, nec in clibanum te misi. Alius te fecit & detulit te mihi. Ego innocenter te manduco. Et cum intra semetipsum hæc dixerit, respondet ad illum, qui detulit: oravi pro te. Si quis mesuerit, demetetur. Ita & si quis frumentum in mola miserit, etiam ipse mittetur in mola. Si quis consperferit, conspergetur. Ita & si quis panem coxerit, excocquetur. Et propter hoc illicitum est apud eos, opus facere. Et iterum dicunt esse alios præter hunc, quem videmus mundum, quibus hujus mundi luminaria, cum hic occiderint, oboriuntur. Et ibi dicunt, si quis ambulat in terra, lædit terram. Et qui levat manum, lædit aërem, quia aer est anima hominum & animalium, & volatilium, & piscium, & reptantium. Et si quod est in hoc mundo, Dixi enim vobis, quia corpus hoc, non illud, necesse est obscurari. Paradisus autem, qui vocatur mundus, arbores, quæ in ipso sunt, concupiscentiæ sunt, & cætera seductiones, corrumpentes cogitationem hominum. Illa autem arbor, quæ est in paradiso, ex quo cognoscitur bonum, ipse est Jesus & scientia ejus, quæ est in mundo. Quam qui acceperit, discernit bonum à malo. Mundus autem nec ipse est Dei, sed ex parte materiæ plasmatus. Et ideo omnia exterminantur. Quod autem furati sunt principes à primo homine, ipsum est, quod adimplet lunam, quod quotidie purgatur à mundo. Et si exierit ani-

\* Quis quis.

ma manque non cognoverit veritas, tradetur demonibus, ut eam doment in gehenna ignis. Et postquam correpta fuerit, transfundetur in alia corpora ut dometur, & ita injicitur in illum magnum ignem usque ad consummationem. De Prophetis autem, qui apud vos sunt, hæc dicit, spiritus esse impietatis sive iniquitatis tenebrarum illarum, quæ ab initio ascenderunt, quibus deceptis non sunt locuti in veritate. Excavavit enim princeps ille mentem illorum. Et si quis sequitur verba eorum, morietur in sæcula devictus intra massam, quoniam non didicit scientiam Paracleti. Præcepit autem electis suis solis, qui sunt amplius quam septem numero, ut cum desinerint manducantes, orarent & mitterent super caput oleum exorcidiatum, invocatis nominibus plurimis ad confirmationem fidei. Hujus nomina mihi tamen non manifestavit; Sols enim illi septem, utuntur his nominibus. Et iterum, quod apud vos magnum esset honorabile nomen Sabaoth, ille dicit naturam esse hominis & patrem concupiscentiæ. Et propterea inquit simpliciores adorant concupiscentiam, Deum eam putantes. De Adam vero quomodo creatus sit, ita dicit: Venite, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & secundum eam, quam videmus formam. Princeps est, qui hæc dicit ad collegas suos principes, id est, venite, date mihi de lumine, quod accepimus, & faciamus secundum nostram, qua principes sumus, formam, & secundum eam, quam videmus, quod est primus homo. Et ita hominem creaverunt: qui Evam quoque similiter fecerunt, dantes ei de concupiscentia sua ad decipiendum Adam: & per hæc factum esse figmentum mundi per conditionem principis. Dominum vero non habere patrem cum mundo nec gaudere super eum. Propter quod ab initio furatum passus sit à principibus, & oborta fuerit ei tribulatio. Hac de causa mittit & furatur ab eis animam suam quotidie per luminaria hæc, id est, solem & lunam, per quos univversus mundus & omnis \* creatura rapatur. Illum vero, qui locutus est cum Moyle & Judæis & Sacerdotibus, principem dicit esse tenebrarum. Et ideo unum & idem sunt Christiani & Judæi & Gentiles, eundem Deum colentes. In concupiscentiis enim suis seducit eos, quia non est Deus veritatis. Propter hoc ergo quicumque in illum Deum superant, qui cum Moyle locutus est & Prophetis, cum ipso habent vinculis tradi, quia non speraverunt in Deum veritatis. Ille enim secundum concupiscentias suas locutus est cum eis. Post hæc vero omnia ad ultimum dicit, sicut ipse senior scripsit. Cum manifestam feceris ejus imaginem, tunc ipse omoforus extra se terram derelinquit, & ita dimittitur ille magnus ignis, qui mundum consumat univversum. Deinde iterum dimittitur anima, quæ obicior inter medium novi sæculi, ut omnes animæ peccatorum vincantur in æternum. Tunc autem hæc sicut cum ista tota venerint. Probationes autem omnes, Jesus est in modica navi, & mater vitæ, & duodecim gubernatores, & virgo lucis, & senior tertius. Unde & major in navi vivens

\* Creatura rapatur.

spiritus adhibetur & murus ignis illius magni. A  
& murus venti & æris & aquæ interioris ignis  
vivensque. Omnia in luna habitabunt osque  
quo totum mundum ignis absumat. In quem  
autem annorum numerum non didici. Et  
post hæc restitutio erit duorum luminarium, &  
principes habitabunt in inferioribus q<sup>ter</sup>  
autem in superioribus, quæ sua sunt recipies.  
Hæc est omnis doctrina quam tradidit tibus  
discipulis suis, & iussit eos in tres mundi plagas  
proficisci. Ex quibus Adda \* patre fortitus est  
Orientis. Thomas vero Syrorum terras suscepit.  
Hermas vero ad Ægyptum profectus est,  
& usque in hodiernum ibi degunt, dogmatis hu-  
jus gratia prædicandi. Hæc cum Turbo dixisset,  
vehementer accendebatur Archelaus. Mar-  
cellus vero non movebatur, Deum expectans  
auxilio veritati suæ futurum. Archelao autem B  
erat cura pro populo, tanquam pastori pro ovi-  
bus, cum lupotum parantur insidiæ. Igitur Mar-  
cellus Turbonem muneribus plurimis donavit,  
& in Archelai domum residere præcepit. Eadem  
autem ipsa die adventavit Manes, adducens  
secum juvenes & virgines electos ad 12. simul.  
Et primo omnium Turbonem requirit pro totius  
Marcelli. Quem cum non invenisset, & ad  
Marcellum ingreditur salutandum. Quo ille  
viro, admiratus est primo habitus indumenta.  
Habebat enim calceamenti genus, quod trifolium  
vulgo appellari solet; pallium verò varium,  
tanquam acris inaspici enim. Manus vero val-  
disimum baculum tenebat ex ligno ebilino.  
Babylonium vero librum portabat sub sinistra  
lacruta, quarum una rufa, alia velut prasini  
coloris erat. Vultus vero ut senis Persæ artificis  
& bellorum ducis, videbatur. Igitur Mar-  
cellus statim ad Archelaum mittit. Qui cum  
verbo citius adfuisset, inveni in eum animo urge-  
batur ex ipso habitu ac specie ejus, & maxime  
quod & quæ Turbone referente cognoverat se-  
cretius factum apud semetipsum retractaverat, &  
diligenter præparatus advenerat. At vero pru-  
dentissimus Marcellus, omni contentionum  
studio sublato, utrumque audiri decernit, invita-  
tis viris primariis civitatis. Ex quibus iudices  
elegit Gentiles religionem, quatuor numero, quo-  
rum hæc sunt nomina. Manippus Grammaticus  
& disciplinæ Rethoricæ artis peritissimus, &  
Ægidius Archiater nobilissimus & literis appri-  
me eruditus. Claudius & Cleobulus, duo fra-  
tres, egregij Rhetores. Fit ergo magnificus  
conventus, ita ut domus Marcelli, quæ erat im-  
mensa, repleretur ex his, qui ad audiendum su-  
orant convocati. Et cum in conspectu omnium  
constitissent ii, qui adversus se dicere propone-  
bant, tunc illi electi iudices excelsores omnibus  
confederunt. Atque Manem dicendi initium  
datum est. Silentio igitur facto primum  
aggressus est hoc mo-  
do.

*Incipit Epistola sancti Archelai Episcopi  
Catholici contra Mani-  
chaum.*

Archelaus Diodoro Presbytero, filio honora-  
bili salutem.

Acceptis literis tuis valde gavisus sum, dile-  
ctissime. Agnovi autem, quod vir iste, qui ante  
hos dies ad me venerat, & scientiam aliam præter  
eam, quæ Apostolica est & Ecclesiastica, intro-  
ducere cupiebat, ad te quoque venerit: quem  
quidem ego non admisi. In præsentem enim no-  
bis disputantibus confutatus est. Et velim qui-  
dem omnia, quæ à me dicta sunt scribere tibi, ut  
ex his agnosceres fidem ejus. Sed quia hoc de  
vacanti fieri potest, nunc quod instat, paucis re-  
spondere tibi necessarium duxi, ad quæ mihi  
scripsisti, quod ab illo dicerentur. Erat ergo ei  
suum studium, legem Moysis ostendere non esse  
consonantem legi Christi, & hæc ex nostris scri-  
pturis asseverare tentabat. Nos vero ex eadem  
ipsa scriptura, non solum confirmavimus, legem  
Moysi & omnia, quæ in ea scripta sunt, verum etiam  
omne vetus Testamentum convenire novo Te-  
stamento & consonare probavimus; unumque  
esse textum, tanquam si una vestis videtur sub  
temine atque stamine esse contexta. Hoc solum  
quod velut purpuram videmus in veste, novum  
Testamentum in texturam veteris Testa-  
menti gloriam \* um Domini  
in eodem specularum. Non ergo abjiciendum  
speculum, cum nobis ipsam imaginem rerum si-  
milem veramque demonstrari: quin potius & eo  
amplius honorandum est. Sed & puerum, qui ad  
doctores à pedagogo perducitur cum adhuc par-  
vulus est, nunquid cum ad ætatem pervenerit, de-  
honestare oportet pedagogum, propterea quod  
jam operæ ejus non indiget, & potest solus jam sine  
ejus adminiculo ad scholas pergere atque ad  
auditoria properare. Ut rursum parvulus, qui  
lacte nutritus est, cum profecerit ad validiores  
cibos, cum injuria debeat abjicere atque exhor-  
rescere nutritis mamillas. Quin potius veneratur  
& colitur, & beneficii sui debitor fatetur. Aliud  
etiam, si videtur, adhibeamus exemplum.  
Homo quidam projectum in terram cum vidisset  
infantem & jam vehementer afflictum, colligit  
& nutrit apud se quarit, usque quo ad ætatem  
adolescenciæ perveniret, toleravitque omnes,  
qui venire solent nutritibus labores. Accidit  
vero post tempus, ut is qui naturalis ei fuerat pater,  
requiret puerum & inveniret cum apud illum  
qui nutritus est. Quid faciat hic puer patre  
cognito. De justo enim puero mihi sermo est.  
Nonne multis donis munerato eo, qui se educa-  
verat, sequitur naturalem patrem prospectu hæ-  
reditatis. Ita mihi intellige magnificum Dei fa-  
mulum Moysen invenisse populum afflictum ab  
Ægyptiis, quem assumptam nutritus erat in deser-  
to tanquam pater educabat. Ut magister re-  
gebat & conservabat populum, usque quo ve-  
niret cuius est. Et cum post aliquantum tem-  
pus adveniens pater proprias oves recepit:  
nonne

\* partem

\* 74.

nonne per omnia honorabitur quidem ab eo cui tradidit gregem, gloriabitur vero ab ipsis, qui ab eo conseruati sunt. Quis igitur ita mentis insanæ est, ô dilectissime Diodore, ut alienos à se dicat eos, qui inter se conjuncti sunt, qui pro se inuicem prophetarunt, qui æqualia atque cognata, imo potius germana signa ac prodigia demonstrarunt. Et primo quidem Moyse ad populum, Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus vester sicut me. Deinde Jesus ait, de me enim Moyse locutus est. Vides quomodo dextras sibi inuicem tradant, quamvis alter Prophetas, alter vero filius sit dilectus: alter fidelis famulus, alter vero Dominus agnoscat. Sed & quondam volens, quis sine Pædagogio ire ad scholas, non suscipitur à magistro dicente, non eum suscipiam nisi acceperit Pædagogum. Qui sit autem de quo dicimus, breuiter exponam. Homo erat quidam dives, gentiliter vivens, in multa luxuria quotidie degens: alius vero pauper erat vicinus ejus, qui ne quotidianum quidem cibum potest invenire. Accidit utrumque vitâ discedere & in infernum descendere: & pauperem mitti in locum requiei, & reliqua quæ nosti. Verum tamen erant divites fratres quinque, & ea, quæ ipse gesserat agentes sine dubio, quæ domi à tali magistro didicissent. Rogavit dives simul uno tempore discere majorem doctrinam ab Abraham. Abraham vero sciens, quoniam

\* à tunc indigent Pædagogo, ait ei, habent Moysen & Prophetas. Si enim illos non susceperint, ab eo velut Pædagogo ¶ venientur, non poterunt magistri majoris capere doctrinam; Sed & de aliis sermonibus ut potero exponam; Id est, quod non contraria Moyse locutus est Jesus aut fecit. Primum quidem quod ait oculum pro oculo, dentem pro dente, in hoc iustum est. Quod autem casum præstare jubet alteram maxillam, hoc bonitas est, absit. Profectus autem est de iustitia ad bonitatem. Et rursus dignus est operarius mercede sua. Quod si voluerit quis fraudem facere & exigi ab eo illa, quæ fraude intercepta, iustissimum est, maxime cum multa sit merces. Hoc autem dico, quando Ægyptii affligebant filios Israël per operum compulsiones in fingendis lateribus. Quod cum suppliciiis Moyses totum pariter intra unum momentum temporis exigit, nunquid iniquitas appellanda est. Absit. Illa sane bonitatis est absentia, cum utitur quis frugaliter, renuntians omnibus, quæ superflua sunt. Quod ergo in veteri testamento dictum est: ego divitem facio & pauperem. Jesus beatificæ pauperes. Non dixit sæculari substantia pauperes, sed pauperes Spiritu, id est, qui non superbia inflammantur, sed humilitate mitigant & inclinant, non plus sapientes, quam oportet sapere. Quam quidem adversarius quæstionem non competentem aptavit. Hic enim video & Jesum libenter intuentem divitum munera, cum in Gazophilacio offeruntur. Et parum hoc est, si à solis divitibus in Gazophilacio munera inferuntur. Imo vero etiam duo minuta pauperum viduæ libenter suscipiuntur. In quo amplius aliquid quam quod Moyse præceperat de suscipienda pecunia demonstratur. Ille enim ab his

A tantummodo, qui habebant, suscipiebat: hic autem accipit etiam ab his, qui non habent. Sed ait, scriptum est, nisi quis renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest esse meus discipulus. Rursus video centurionem valde divitem & sæculari præditum potestate, fidem habere plusquam omnem Israël: ut si quis fuerit etiam qui renuntiaverat, à centurione superatur in fide. Sed dicit nobis quis, non est ergo bonum renuntiare divitiis. Bonum, inquam, his qui possunt. Sed & abuti divitiis ad opus iustitiæ & misericordiæ, parum gratiam tribuit ac si universis pariter renuntietur. De eo autem quod dicit: destructum est Sabbatum, non plane destruxit. Ipse enim erat Dominus Sabbati. Tanquam si sponsus quis custodiens torum diligenter extractum, à nullo alio extraneo vexari vel contingi patitur, usquequo ipse sponsus adveniat, & cum advenit, strato suo sicut liberetur utatur, vel ii quos secum iusserit intrare. Testimonium etiam dedit his, quæ dicimus, cœlesti voce ipse Dominus Jesus Christus, dicens: Nunquid potestis filios sponsi facere jejunare, donec cum ipsis est sponsus. Sed circumcisionem non abiecit: quin potius ipse pro nobis in semetipso causam circumcisionis suscepit, labore nos relevans, & pati nos frustra doloris aliquid non sinens. Quid enim prodest, circumcidenti se quidem, & aduersum proximum suum pessima cogitanti. Voluit autem magis largissimæ viæ compendiosum nobis tramitem demonstrare, ne forte cum longa spatia circumimus, ante nobis dies claudatur in noctem; & dum de foris quidem splendidi hominibus apparemus, intrinsicus lupis rapacibus comparemur, aut sepulchris conferamur dealbatis. Multum enim ille huic præferendus est, qui veste squalida ac detrita circumdatus, nihil mali in corde suo conclusum retinet aduersum proximum suum. Cordis ergo circumcisio sola salutem confert, nihil præstante carnali, nisi forte spiritali circumcisioe muniatur. Audi etiam quid dicit Scriptura. Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt. Quid ergo mihi opus est laborare, cum cognoverim compendium viæ, si possum mundus esse corde. Sicut & si quis prævaleat in duobus mandatis omnem legem implere & Prophetas. Post hæc vero omnia edocet Apostolorum maximus Paulus dicens, experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus. Quid ergo mihi est opus circumcisio, cum possim & in præputio iustificari. Et scriptum est: Si quis circumcisus est, non adducat præputium. Aut si quis in præputio est, non circumcidatur. Utrumque enim nihil est, nisi observatio mandatorum Dei. Cum ergo nullum possit salvare circumcisio, non magnopere requirenda est, maxime cum si quis in præputio vocatus fuerit & circumcidi voluerit, continuo prædicator legis efficiatur. Si enim circumcidor & mandata legis adimpleo ut salvari possim, incircumcisus & in præputio positus, multo magis mandata custodiens habebō vitam. In Spiritu enim circumcisionem cordis accepi. Non jam literæ per atramentum, in quo laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Non ergo referatur ad me hujusc-

\* adhuc

† gubernatur.

\* abstinentia.

modi inculatio. Sicut enim aliquis dives, multis auri atque argenti talentis repletus, ita omne domesticum usum ministerium ex huiusmodi metallis habeas structum, in nullo vasis fictilis speciem requirit. Sed non propterea figuli opus aufers, aut fictilium vasorum ab eo detestanda est. Ita etiam ego gratia DEI dives factus sum, & cordis circumcisionem consecutus, nequaquam vilissimae illius circumcisionis indigeo, nec tamen malam esse dico. Absit. Quod si diligentius de his voluerit aliquis edoceri, inveniet haec in prima epistola Apostoli plenissime *\* pertractans.* De velamento vero Moysi & de ministerio mortis dicam sermone brevissimo. Non enim valde mihi haec insinuare aliquid adversum legem videntur. Ait ergo sermo Propheticus, quod si ministerium mortis in literis firmatum, in lapidibus factum, est in gloria, ita ut non possint filii Israel intendere faciem Moysi propter gloriam vultus eius, quae aboletur, & reliqua. Tamen gloriam esse conficitur in vultu Moysi, quod est amicum nobis. Quod si destruitur & velamen, si habet lectio eius, hoc me non exacerbat neque conturbat, si tantum in eo gloria. Neque vero omni genere *\* in nobilitate redigitur,* quod destruitur. Cum enim de gloria disputat scriptura, scis esse differentias gloriae. Alia enim gloria solis, alia gloria lunae, alia gloria stellarum. Stella enim à stella differt in gloria. Si enim sol majorem habet gloriam, quam luna, non continuo in ignobilitate redigitur luna. Ita & si Dominus meus Jesus praecellit in gloria Moysen tantquam Dominus famulum, non continuo respicienda est gloria Moysi. Ita enim satis possumus facere auditoribus, sicut & verbi ipsius natura demonstrat, ex scripturis, quae dicimus affirmantes, vel certe etiam exemplis manifestius comprobantes. Si quis lucernam accenderit noctu, cum sol exortus fuerit, parvo lucernae igne non indiget, propter splendorem solis ubique radiantis. Sed non ideo abiecit lucernam, velut contrariam soli. Quin potius comperto eius usu, etiam diligentius servabit. Custodivit ergo populum lex Moysi, tanquam lucerna, usque quo sol nubis verus Salvator orietur. Sicut ait, & illuminat tibi Christus. Sed qui dicit, obscurati sunt sensus eorum. Usque in hodiernum enim ipsum velamen manet in lectione veteris Testamenti. Non revelatur, quia in Christo destruitur. Usque in hodiernum enim cum legitur Moyses, velamen est positum supra cor eorum. Cum autem conversus fuerit quis ad Dominum, auferetur velamen. Dominus autem spiritus est. Quid, inquit, usque in hodiernumne praesens est Moyses, non dormivit, non requievit, non abcessit vita? Quamobrem ergo in hodiernum dicit? Sed intueri velamen, ubi dicit, positum supra cor eorum. Haec est vox, quae arguit filios Israel, legentes Moysen & non intelligentes, neque convertentes se ad Dominum, quoniam ipse est, qui à Moysse prophetatus est venire. Hoc est velamen, quod erat positum supra faciem Moysi, qui est testamentum eius. Ait enim intellige, non deficit princeps de Juda

*\* pertractans.*

*\* in ignobilitate.*

A neque dux de femore eius, usque quo veniat, qui est, & ipse erit expectatio Gentium. Qui alligavit ad vitem pullum suum, & ad optimam vitem pullum asinae suae. Lavabit in vino stolam suam & in sanguine urae indumentum suum. Effusi oculi eius à vino, & candidi dentes eius à lacte, & reliqua. Qui enim & unde venturus esset designavit. Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus ex fratribus vestris sicut me: ipsum audite. Et quidem quia non possit intelligi hoc de Jesu; Mane dictum esse, manifestum est. Nihil enim huius Circumcisionis in ipso invenitur. Adhuc enim Juda Reges fuerunt post ipsum. Et ideo aliena longe est ab eohac Prophetia, & hoc est velamen, quod est in Moysen. Neque enim sicut fortasse aliqui imperitorum putant, linteam aliquod vel pellis fuit, quae vultum eius operiret. Sed Apostolus diligenter ostendit, dicens velamen esse positum in lectione veteris Testamenti, propter quod is, qui appellatur antiquitus Israel, expectat adventare Christum, non intelligens quia defecerunt ex Juda principes ex femoribus eius duces, sicut nunc videmus regibus eos regibusque subiectos tributa pendere, nulla sibi potestate vel iudicandi vel puniendi concessa, sicut Judas habuit: Quia Thamar postea quam condemnata potuit iustificare. Sed videbitis vitam vestram pendentem ante oculos vestros. Habet etiam hic sermo velamen. Usque ad Herodem enim ex parte aliqua regnum tenere videbantur. Ab Augusto autem prima abscipio in eis facta est, coeperuntque tributa pendere & censum dare; Ex quo autem Dominus meus Jesus ceptus est prophetari atque expectari, ex eo Principes ex Juda esse coeperunt & duces populi: qui rursus defecerunt in adventum praesentis eius. Si ergo auferatur velamen, quod in illa lectione positum est, intelligens virtutem circumcisionis. Invenient & generationem eius, quem praedicamus & crucem, & quae cumque de Domino nostro gesta sunt, ipsa quae de eo fuerant praedicta. Et velim quidem de scripturis discutere unumquemque sermonem ut intelligi dignum est. Dixisse nunc sufficit, ut ostendamus non sine causa velamen positum super cor quorundam in lectione veteris Testamenti. Quicumque vero ad Dominum convertuntur, ab his velamentum auferetur. Quae omnia, quam vim habeant in sese, his, qui sensu vigent, intelligendum relinquo. Veniamus etiam ad illum sermonem Moysi quod ait: Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus vester ex fratribus vestris sicut me. In quo magnam video Prophetiam famuli Moysi *\* scientes eum, qui venturus esset & amplius qui.* *\* scientis* dem se auctoritatis habiturum, similia tamen esse passurum, & similia signa ac prodigia ostensurum. Ibi enim Moyses natus, à matre sua in tibia positus exponitur ad ripam fluminis. Hic Dominus noster Jesus natus ex matre Maria, per Angelum fugatur in Aegyptum. Ibi Moyses educens populum de medio Aegyptiorum salvavit. Et hic Jesus populum de medio Pharisaeorum educens, aeternae tradidit salutem. Ibi Moyses per orationem petens à caelo accepit panem, quo pasceret populum in deserto. Hic Dominus no-

Iste Jesus virtute propria ex quinque panibus viros quinque millia saturavit in deserto. Ibi Moyses cum probaretur, positus in monte ieiunavit quadraginta dies. Et hic Dominus noster Jesus à spiritu actus in desertum, cum tentaretur à diabolo, quadraginta diebus similiter ieiunavit. Ibi in conspectu Moysi propter infidelitatem Pharaonis omnia Ægyptiorum primogenita perierunt. Et hic Jesus nascens, propter infidelitatem Herodis omne masculum Iudzorum subito periiit. Ibi Moyses orat, ut pareatur à plagis Pharaoni ac pro populo ejus: & hic Dominus noster Jesus orat indulgeri Phariseis. Pater ignosce eis, quoniam nesciunt quid faciunt. Ibi Moyses vultus resplenduit in gloriam Domini, ita ut non posset filii Israel intedere in faciem ejus propter gloriam vultus ejus. Et hic Jesus Christus Dominus resplenduit sicut sol, & discipuli ejus non poterant respicere in faciem ejus, propter gloriam vultus ejus & immensum luminis splendorem. Ibi Moyses eos, qui vitulum fecerant, gladio deiecit. Et hic Dominus Jesus ait, veni gladium mittere super terram & dividere hominem à proximo suo, & reliqua. Ibi Moyses in caligine nubium aquas ferentium, sine metu incessit: & hic Dominus Jesus cum omni potestate super aquas ambulavit. Ibi Moyses imperavit mari: & hic Dominus Jesus cum esset in navi, surgens imperavit ventis & mari. Ibi Moyses cum impugnetur, extensis manibus certavit aduersus Amalech. Et hic Dominus Jesus impugnat nobis & pereuntibus violentià erratici spiritus, qui nunc in istis operatur, extensis in cruce manibus salutem dedit. Sed & alia multa prætereo, dilectissime Diodore, dum festino ad te velociter libellum mittere, quæ tu pro tua prudentia facile poteris reparare. Scribe autem mihi charissime, quid postea egerit aduersariæ partis minister. Incolumem te anima & spiritu custodiat Deus omnipotens.

Acceptâ hac epistolâ Diodorus, & collectio ex ea sensu, conspigit aduersus Manem, ita ut ab omnibus collaudaretur, quod diligenter & competenter ostenderit duorum Testamentorum atque utriusque legis inter sese cognationem. Plura etiam ex semetipso veniens objecit ei, valida valde & fortia, pro veritate. Conclufit etiam aduersarium Diodorus ex navibus dicens ita. Dixisti duo esse testamenta, dic ergo duo esse vetera aut duo nova. Ejusdem enim temporis vel potius æternitatis duo asseris esse ingenita. Et si duo

A sunt, duo esse oportet & vetera Testamenta aut duo nova, quod si non hoc dicis, sed unum esse vetus & aliud novum, rursus unus utriusque auctor ostenditur, & ejus esse vetus cujus & novum, consequentia ipsa edocet, velut si quis dicat homini, loca mihi veterem domum tuam, non per hoc etiam novæ domus Dominum esse pronuntiat. Aut rursus si dicat ei, novam domum tuam præsta mihi, nonne eodem verbo etiam veterem eum habere designat. Deinde etiam illud pervidendum est, quia ex quo duo sunt ingenita <sup>† habent</sup> habentes naturam ipsorum testamentum, & sicut <sup>ex natura.</sup> duo vetera testamenta, si tamen ambos antiquos & sine initio esse dicis. Ego autem non ita dicis, nec ita continent scripturæ. Tu vero, qui dicis legem Moysi esse maligni Principis & non boni Dei, dic mihi, qui erant illi, qui resistebant in faciem Moysi: Jamnem dico & Mambrem. Omne enim, quod resistit, non sibi metipsum restitit, sed alii aut meliori aut deteriori, sicut Paulus indicat Timotheo in secunda epistola sua. ita scribens: Quemadmodum Jamnes & Mambres restiterunt Moysi, ita & isti restiterunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem. Sed ultra non proficient. Insuper illorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit. Vides quomodo Jamnem & Mambrem hominibus comparat corruptis mente, reprobis circa fidem: Moysen vero veritati. Sed & sanctus Joannes Maximus Evangelistarum ait, gratiam gratia præstare & differre. Ex plenitudine enim Jesu legem Moysi accepisse nos dicit. Aliam autem gratiam pro illa gratia per Jesum Christum in nobis esse completam. Quod ostendens etiam ipse Dominus noster Jesus agebat, non potestis, quia ego vos accusabo apud Patrem. Est, qui vos accuset Moyses, in quem vos speratis. Si enim creditis Moysi, crederitis utique forsitan & mihi. De me enim ille scripsit. Quod si literis illius non creditis, quomodo verbis meis crederitis. Sunt etiam alia multa, quæ dici possent, & de Apostolo Paulo & de Evangelis, ex quibus ostendere possumus veterem legem non esse alterius quam domini, cujus est novum testamentum: quæ nos competenter exponere & à <sup>† aperire</sup> Patre ut convenit jam vel per impedit. Dies enim clauditur, & finem nos disputandi facere par est. <sup>D</sup> Crastino autem vobis, de quibus tibi videtur, quæstiones habeantur. Et his dictis discesserunt.

*Explicite. Lege cum pace.*

*Ex codice Manuscripto monasterii Bobiensis, qui nunc est Mediolani  
in Bibliotheca Ambrosiana.*